Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

Eadem vero hora mortuus est decius. Uxor autem eius triphonia venit ad beatum iustinum. et misit se cum lacrimis ad pedes eius. simul et filia eius nomine cyrilla. et ut baptizarentur rogabant. Quas cum gaudio suscepit iustinus presbiter. et indixit eis ieiunium per vii dies. et septimo die baptizavit eas. Que dum baptismum percepissent. auditum est nunciis mundo. Alia autem die dum orat triphonia. emisit spiritum. Cuius corpus sepultum est in eadem cripta iuxta sancti ypoliti. sub die quinto decimo kalendas novembris.

Hoc eodem die cepit beatus iustinus presbiter diligentius querere sicubi corpora sanctorum absconsa fuisset. premium permittens militibus. Audientes autem milites eo quod triphonia uxor decii christiana facta fuisset. et filia eius cyrilla. venerunt cum uxoribus suis numero xl vi ad beatum iustinum presbiterum. miseruntque se ad pedes eius rogantes et penitenciam et indulgenciam postulantes ut baptismum perciperent. Hic beatus iustinus collegit clerum omnem. et quesivit quem in loco beati martiris sixti episcopum ordinarent. Et ordinaverunt venerabilem virum dionisium. quem consecravit maximus ostiensis episcopus. Tunc obtulit beatus iustinus milites xl vi ad baptismum beato et venerabili dionisio pape urbis rome. et baptizavit eos in nomine sancte trinitatis. Audito hoc claudius rex indignatione repletus. misit et tenuit cyrillam filiam decii cesaris. et milites christi. et iussit adduci ad sacrificandum demoniis. Qui omnes contempto precepto regis deriserunt regem. Qui iussit eos in custodiam recipi. Cyrillam vero sibi presentari precepit. Cui sic loquitur. Sic tibi placuit ut precepta et ritum claritatis parentum non sequeris. et deseras nutrimenta regalia. Respondit cyrilla. Ego christiana sum ancilla christi. et desero demonia. que vos usque ad supplicium eternum deducent. ut cum ipsis pereatis. Claudius dixit. Consenti nobis et sacrifica diis. et accipe virum secundum natales tuos. Cyrilla dixit. Ego iam virum accepi qui me docuit sapientiam. hoc est fideliter dominum ihesum christum. cui semel tradita sum. Claudius iracundia repletus. precepit eam iugulari. et necata gladio. iussit corpus eius in platea canibus derelinqui. Cuius corpus nocte collegit beatus iustinus presbiter. et sepelivit eam cum matre sua. ubi posuit corpus beati ypoliti v kalendas novembris. Eadem die iussit claudius exercitum armatum in palatio salustii includi. et iussit milites sibi presentari qui baptismum perceperunt. Et precepit exercitui ut educerent eos foras muros porte salustie in civitatem figlinam. et ibidem eos omnes capite cedi. Qui decollati sunt omnes pro christi nomine numero xl vi. extra uxores eorum. Quorum corpora eorum nocte collegerunt beati presbiteri iustinus et iohannes. et sepelierunt in cripta cum multitudine christianorum via salaria veteri in clivo cucumeris viii kalendas novembris. ubi florent orationes eorum usque in hodiernum diem. cum aliis c xx martiribus. inter quos fuerunt milites christi quatuor theodosius. lucius. marcus. et petrus. Hii videntes ad se milites armatos venire. dicebant rogantes omnes ut primus primum decollaret. cum intentione fervenbtissima mori leti quam vivere malle. Et perrexerunt ad dominum cui est gloria in secula. Amen.